

opuscula facere, aptare, texere, etc. Si autem labor adeo sit levis ut pro nihilo reputari debeat, v. g., unum vel alterum punctum suere, unum fructum colligere, nullum est peccatum.

Querunt theologi an dominus mandans sex vel decem famulis ut per horam die dominica laborent mortaliter peccet : quidam affirmant, quia opus fit grave respectu ipsius ; alii communius negant, quia singuli operantes venialiter tantum peccant : dominus autem ideo peccat quia eos inducit ad peccandum : ergo venialiter tantum peccat, nisi grave præbeat scandalum. Fatendum est tamen eum sic agendo præceptum Ecclesie ob meras cavillationes elusurum ; multos enim inducendo operarios ad laborandum per horam singulis diebus dominicis et festiuis, leviter tantum peccaret ut ingentia perficeret opera, quod sensui communi repugnare videtur. Unde libenter diceremus cum *Billuart* : *Doctioris iudicium, exspecto.*

Communiter docetur eum qui inter famulos habet infideles et amentes, contra Ecclesie præceptum non agere eos operibus servilibus adhibendo diebus dominicis et festiuis, quia hi præceptis Ecclesie non tenentur. Caveat tamen ne scandalum præbeat, ut, puta, si tales eligeret famulos ut eos ad laborandum diebus dominicis adhiberet.

ARTICULUS TERTIUS.

DE HIS QUÆ DIEBUS DOMINICIS ET FESTIUIS PRÆCIPUUNTUR.

Quæ diebus dominicis et festiuis præcipiuntur fidelibus, vel ab eis præstanda sunt, ad duo genera reducuntur, videlicet ad auditionem Missæ et ad cætera pietatis opera : de quibus in duplici agemus paragrapho.

§ I. — De auditione Missæ diebus dominicis et festiuis.

Dicemus 1^o de præcepto in genere audiendi Missam his

diebus ; 2^o de modo eam audiendi ; 3^o de Missa parochiali, et 4^o de causis ab audienda Missa excusantibus.

SECTIO PRIMA. — De præcepto in genere audiendi Missam diebus dominicis et festiuis.

1^o Dari huiusmodi præceptum, id est, omnes fideles usum rationis habentes, non legitime impeditos, cujuscumque sint status et conditionis, Missam integram singulis diebus dominicis et festiuis sub peccato mortali audire teneri, constat 1^o ex concilio Agathensi, anno 506 celebrato, can. 47, ubi legitur : « Missas die dominico a sæcularibus totas audiri speciali ordinatione præcipimus ; ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat : qui si fecerint, ab episcopo publice confundantur ; » 2^o ex concilio Aureliani anno 511 habito, in quo idem omnino statuitur, can. 26 ; 3^o ex Decreto, 3^a p., dist. 1, can. 63, ubi propria concilii Agathi verba referuntur, et aliis seq. can. ; 4^o ex usu generaliter recepto, et ex fidelium persuasione ac pastorum doctrina, tum privata, tum publica ; 5^o ex damnatione seq. propositionis ab Innocentio XI, anno 1679, et a clero Gallicano, anno 1700 : « Satisfacit præcepto de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit. »

Multi olim docebant, saltem ut probabile, satisfieri præcepto de audienda Missa si audirentur duæ medietates, etiam inverso ordine, v. g., a consecratione usque ad finem, deinde a principio usque ad consecrationem, etiam cum aliquo temporis intervallo, nimirum unius horæ, ut videre est apud *S. Ligorium*, l. 3, n. 311 : hæc vero sententia, quæ rationi præcepti, sensui communi fidelium et condemnationi propositionis superius citatæ simul adversari certe videtur, admitti non potest.

2^o Quæ omissio peccatum mortale constituat, non sibi consentiunt doctores : plures dicunt grave non esse peccatum omittere ab initio usque ad epistolam exclusive ; alii

dicunt usque ad epistolam inclusive; alii usque ad evangelium inclusive, modo deinde audiatur usque ad ultimum evangelium, et adhuc concedunt *Credo*, qui non est pars regularis, voluntque eum graviter non peccare qui venit ante offeritorium, ex quo Missa olim incipiebat. *S. Ligorius*, l. 3, n. 310, declarat secundam sententiam sibi probabiliorē videri, eam scilicet quæ tenet omissionem usque ad epistolam inclusive esse gravem: major et sanior pars theologorum huic sententiæ adherere nobis videtur.

3° Qui a principio usque ad communionem audivit et cætera omittit, graviter non peccat, ut fert sententia communis, neque si omnia ante epistolam et simul omnia post summptionem omittat, ut aiunt *Suarez* et alii plures, volentes tamen peccatum esse mortale si omissio ipsam complecteretur epistolam. Solum omittere offeritorium non reputatur grave: item abesse tempore quo cantatur *Credo* aut *Præfatio*, aut dum concionatur, vel cantus musicalis perficitur, etsi longe protrahatur; quia hæc ad essentialia Missæ non pertinent. Omittere vero consecrationem et communionem vel alterutram, ex communi sententia, aut partem canonis a consecratione usque ad *Pater* exclusive, aut diversas partes non essentialia, quæ grave constituunt objectum, peccatum est mortale.

4° Qui ante consecrationem advenit et aliam Missam audire non potest reliquum hujus Missæ audire tenetur, juxta omnes, quia essentia sacrificii adhuc restat. At si post consecrationem tantum adveniret, *Collet*, *Billuart* et alii volunt eum teneri adhuc partem remanentem audire, obligationem audiendi Missam obligationi divinum recitandi officium comparantes: alii vero, inter quos *S. Ligorius*, negant, quia ubi essentia Missæ deficit, cessat obligatio eam audiendi, dum, e contra, cum officium sit oratio, semper dividi potest. Pius fidelis partem tutiorem semper eligit in eo casu.

5° Qui partem etiam minus essentialiam, sed notabilem omisit, aliam audire debet Missam, si possit, quia Missam integram audire tenetur. Hanc sententiam ut

probabiliorē tradit *S. Ligorius*, post *Salmanticenses*.

6° Qui tres audire teneretur Missas, unam ex lege ecclesiastica, alteram ex voto et tertiam ex præcepto confessarii, certe non satisfaceret tres simul a tribus sacerdotibus celebratas audiendo, quia intentio voventis aut confessarii præsumi non potest fuisse ut Missæ sic audirentur. At si auditio Missæ fuisset injuncta aut voto promissa pro tali die festo, sine addito, unicam Missam audire sufficeret, quia nihil vetat quominus opus ab Ecclesia jam præceptum voveatur aut in penitentiam injungatur.

7° Nulla existit obligatio proprie dicta audiendi Missam aliis diebus præter dominicas et festa de præcepto. *Ita omnes*. In die Nativitatis Domini, quamvis tres celebrentur Missæ, unica tamen audienda est de præcepto, ut fert unanimes sententia.

SECTIO SECUNDA. — De modo audiendi Missam ut satisfiat præcepto.

Præter integritatem de qua diximus, tres requiruntur conditiones, videlicet præsentia moralis, præsentia religiosa et attentio conveniens.

1° *Præsentia moralis*; præcipitur enim assistentia Missæ, auditio Missæ: requiritur ergo ut hæc verba, sensu naturali accepta, sint vera: potro non reputarentur vera, nisi adesset præsentia moralis, ita ut omnibus circumstantiis perpensis, merito dici possit: Hi audiunt Missam vel assistunt Missæ. Unde 1° qui tempore Missæ dormit in ecclesia, pingit, scribit, docet, confabulatur, labori corporali incumbit, vel ebrius est, Missæ non assistit, quia ibi præsens est tantum physice et non moraliter; 2° nec qui longe stat, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest audire et moraliter adesse. Quanta autem ad hoc requiratur distantia non constat: *Card. de Lugo* a *S. Ligorio* citatus, l. 3, n. 312, dicit distantiam triginta passuum non obstat: alii id non admittunt, et *S. Ligorius* nihil pro-

nuntiat. Sat inclinatur ad iudicandum hominem in tali distantia positum, actionem Missæ per motus assistentium vel per alia signa distinguentem, valide assistere; qui enim eum tunc viderent, interrogati quid faciat, responderent: Audit Missam, assistit Missæ. Extra casum legitimi impedimenti, hic modus tamen eligi non posset, ut pote graviter impugnatus. 3° Qui stat prope ecclesiam, sed extra, in loco ubi nihil videt, nec distinguit, valide non potest assistere: imo id verum est etiamsi stet in ecclesia, si magna sit et Missa celebretur in capella distantissima, vel ita clausa ut ipse nihil distinguere possit. 4° Contra vero Missæ valide assistit qui, etsi sacerdotem non videat nec audiat, partes Missæ distinguit per sonitum campanulæ, per cantum chori, per motus assistentium quibus moraliter jungitur, licet sistat extra ecclesiam, in qua turba contineri non potest: item qui est post altare, post columnam, post parietem, modo Missæ assistere intendat et partes ejus distinguat: reputatur enim moraliter præsens: item qui est positus in camera, vel in domo vicina, unde per portam vel fenestram altare aut assistentes videat, vel saltem partes Missæ distinguat, et si parva existat distantia inter locum in quo est et ecclesiam. Communius tamen docetur eum moraliter adesse non censeri, si platea aut via publica intercedat. Vide *Ferraris, v° Missæ sacrif.*, art. 117, n. 18. 5° Qui per breve tempus absunt ad pulsandam campanam, ad quærendum vinum aut aquam, ad excitandum thuribulum, etc., moraliter adesse censentur, tum quia hæc ad actionem sacrificii pertinent, tum quia modicæ hujusmodi absentia pro nihilo reputantur, nisi per consecrationem aut communionem locum haberent. 6° Surdi et cæci Missam audire tenentur, quia eo ipso quod pie sint in loco ubi, sensibus sibi restitutis, videre et audire possent, moraliter iudicantur esse præsentis.

2° *Præsentia religiosa*: præcipitur enim actus religionis: necessaria est ergo intentio Deum honorandi. *Ita omnes*. Non tamen requiritur intentio satisfaciendi præcepto, quia, ex dictis in Tractatu *de Legibus*, intentio sa-

tisfaciendi ordinarie non cadit sub præcepto. Unde qui iret ad ecclesiam et Missæ assisteret absque motu cordis ad Deum, ex solo timore, ex mera hypocrisis, vel ei adesset velut comœdiæ, non satisfaceret.

3° *Attentio conveniens*. Certum est aliquam necessariam esse attentionem, quia secus auditio Missæ non esset actus humanus. Attentio actualis optima esset, sed non exigitur, ut omnes concedunt: attentio habitualis aut interpretativa sufficere non potest, quia non redderet actum humanum, ut pote illum minime dirigens. Requiritur ergo et sufficit attentio virtualis, quæ videlicet fuit actualis et in serie actionum moraliter perseverare censetur, puta, si fidelis adeat ecclesiam cum proposito audiendi Missam, et ibi involuntarie distractus, quid agatur non advertat. Plurimi olim negarunt ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam requiri attentionem internam, hoc principio innixi quod Ecclesia actus mere internos præcipere nequeat. Verum alii communius et longe probabilius eam necessariam esse contendunt, et rationem adversariorum esse nullam; etenim apud omnes constat Ecclesiam præcipere posse actus internos quatenus ad actus externos essentialiter pertinent, v. g., contritionem cordis in confessione sacramentali: id est, præcipiendo confessionem, eo ipso præcipit contritionem; ita et præcipiendo auditionem Missæ, attentionem internam necessario exigit.

Attentio autem ista potest esse triplex, nempe: 1° ad verba et actiones sacerdotis, cum generali proposito actum religionis exercendi, etiamsi sensus eorum non intelligatur; 2° ad sensum et mysteria per verba et actiones sacerdotis significata, et 3° ad Deum laudandum et orandum per preces, meditationes aliosve actus. Hæc ultima est bona: convenit tamen, inquit *Billuart*, ut sic orantes sint attentis ad principiores Missæ partes, nimirum consecrationem et communionem. Secunda est melior, ut patet: prima strictè sufficit, quia nullibi præcipitur ut audiens Missam aliquas preces fundere aut meditationes facere teneatur; sufficit quod ex pia intentione assistat

sacerdoti nomine omnium præsentium ac totius Ecclesiæ celebranti et oranti. Unde 1^o satisfaciunt rusticani qui coronam precatoriam vertunt tempore Missæ, et qui nec librum nec coronam habent, nec aliquas preces determinatas recitant, sed tantum sacrificio assistunt, modo per integram Missam moraliter præsentibus adsint, saltem ex generali intentione Deum per hanc actionem honorandi. Cautè quidem erudiendi et ad religiosiorem assistentiam hortandi sunt, sed expedit ut nimis præcipitanter tanquam rei peccati mortalis non habeantur. Item qui in Missa solemni de cæremoniis ejus passim occupantur, ut sacristæ, cantores, musici, organici, tympanistæ, quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, et necessario non impediunt piam attentionem ad ea quæ in altari geruntur. Item eulogiarum distributores et eleemosynarum collectores satisfacere possunt, modo ad Missam simul attendant: quod si prævideant se hanc attentionem præstare non posse, Missam privatam prius aut posterius audire debent, si commode possint. 2^o Non satisfaciunt, e contra, qui per notabilem Missæ partem confabulantur, imagines considerant, apparatus templi lustrant, inscriptiones aliave profane legunt, scientias meditantur, libros etiam pios præ manibus habent ad discendum et non ad orandum, vel aliter exterius aut interius voluntarie distrahuntur. Distractiones autem censentur involuntariæ quando quis non advertit se de iis objectis cogitare, vel esse tempus Missæ. Nec pariter satisfaceret qui tempore Missæ proluxe sacramentaliter confiteretur, aut confessiones audiret, quia etsi actum religionis exerceret, ad Missam non attenderet, nec eam audire censeretur; secus, si breviter et quasi per transennam confessionem absolvet, aut si Horas canonicas recitaret, quia attentè ad Missam requisita non necessario impediretur, quamvis pii clerici id tempore Missæ facere non soleant, nisi adsit causa excusans.

SECTIO TERTIA. — De Missa parochiali.

1^o Constat ex variis testimoniis primorum sancto-

rum Patrum, ut S. Ignatii martyris, S. Justini, Tertuliani, etc., fideles consuevisse diebus dominicis in eodem locum convenire, ubi episcopus præerat, sacrum faciebat, divinam Eucharistiam administrabat, conciones habebat, etc. Concilium Eliberitanum, anno 305 habitum, can. 21, statuit: « Si quis in civitate positus, » tres dominicas ad ecclesiam non accesserit, pauco » tempore abstineat, ut correptus esse videatur. » Concil. Sardicense, anno 347 celebratum, idem renovavit ac præscripsit, canon. 14 et 15, et hæc dispositio fuit admissa tum apud Latinos, tum apud Græcos. Nam in concilio Trullano, anni 692, habetur, can. 80: « Si quis... in ci- » vitate agens tribus diebus dominicis in tribus septima- » nis una non conveniat, si sit quidem clericus, depo- » natur; si vero sit laicus, segregetur. »

2^o Ex his canonibus universaliter receptis, praeque Ritualia nostra, statuta synodalia, concilia provincialia tradunt ut præceptum assistentiam Missæ parochiali. Hinc in Rituali nostro, sicut in aliis multis, denuntiatur pœna excommunicationis ferendæ sententiæ in eos qui, absque legitima causa, per tres consequentes dies dominicas a Missa parochiali abessent.

3^o Religiosi Mendicantes prædicare cœperunt in decimo quinto sæculo, primo in Germania, deinde in aliis regionibus, fideles præcepto audiendi Missam satisfacere Missis regularium assistendo, et ad Missam parochialem non teneri: magna inde exorta est dissensio inter regulares, præsertim Mendicantes ex una parte, et parochos ac episcopos ex altera parte. Sixtus IV, ex ordine Fratrum Minorum assumptus, per Constitutionem anni 1478, prohibuit ne Fratres Mendicantes prædicarent « parochianos non teneri audire Missam in eorum » parochiis diebus festivis et dominicis, cum jure cau- » tum sit, *inquit*, illis diebus parochianos teneri audire » Missam in eorum parochiali ecclesia. »

4^o Concil. Trid., sess. 24, cap. 4 de Reform., sic se habet: « Moneat episcopus populum diligenter teneri unum- » quemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri

» potest, ad audiendum verbum Dei. » Quamvis concilium de auditione Missæ non loquatur, *S. Carolus Borromæus* in concil. Mediol. VI, multa concilia provincialia et statuta synodalia ac Ritualia illius decretum de Missa sicut de concione intellexerunt; ideoque in Brevis quæ Romæ conceduntur pro Missis in privato oratorio celebrandis, exigitur 1° ut unica celebretur Missa; 2° ut excipiantur dies Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, et alii solemniores; 3° ut in præsentia tantum oratorium privatum habentis, natorum, familiæ et hospitem suorum nobilium celebrari possit; 4° ut id fiat sine quorumcumque jurium parochialium præjudicio.

5° At *Bened. XIV*, de Synodo diœces. l. 11, cap. 14, n. 7 et seq., notat 1° jure communi et antiquissimo, concilio Sardicensi anteriori, cautum esse ut singuli fideles diebus festis Missæ parochiali adsint, idque pluribus conciliorum et summorum Pontificum decretis sancitum fuisse; 2° his sanctionibus derogatum esse contraria consuetudine et posterioribus summorum Pontificum Constitutionibus, nempe Leonis X, anno 1517, S. Pii V, anno 1567, et Clementis VIII, anno 1592; 3° nunc licere Missam diebus dominicis et festis audire, non solum in ecclesiis regularium, pro quibus data sunt summorum Pontificum privilegia, sed in qualibet alia ecclesia, modo non sit capella seu oratorium privatum, « quia contraria » consuetudine in toto orbe christiano acceptata derogatum est præcepto audiendi Missam parochialem: » deinde multos citat theologos pro ea sententia stantes; 4° episcopum pœnis adigere non posse subditos ad Missam parochialem neque ad concionem in parochia auscultandam, sed tantum exhortari debere; et ideo constitutiones episcopi Midensis hac de re latas et præceptivas, ex Sacræ Congreg. Conc. Trid. sententia reformatas fuisse.

Hinc sequitur 1° generalem nunc non existere legem ecclesiasticam fideles ad audiendam Missam parochialem strictè obligantem; 2° eos tamen hortandos esse ad frequentandam propriam ecclesiam, tum ad assistendum

Missæ parochiali, quæ pro cunctis parochianis celebrari debet, ac proinde valde convenit ut omnes, quantum fieri potest, ei adsint, tum ad concionem ibi auscultandam, et alia fidei, morum et disciplinæ rudimenta suscipienda; 3° eos qui, ob aliquam causam, licet non gravem, in alia ecclesia, sive viciniori, sive commodiori, absque proprii parochi contemptu, communiter intersunt, non ideo habendos esse ut reos peccati mortalis; et si aliqua sit ratio, nullum esse peccatum, præsertim si assistant in altera parochia, ubi eadem videant et audiant quæ videre et audire possent in propria parochia.

Cæterum quilibet episcopus omnem anxietatem tollere potest, declarando se nolle suos diœcesanos ad Missam parochialem sub gravi obligari, ut a multo tempore jam declararunt Cenomanenses episcopi et sic in statutis nostris synodi anni 1851 habetur: *Volumus cum illo (Bened. XIV) ut prius adhortationibus tantummodo inducantur fideles ad audiendam Missam, quantum fieri poterit, in sua parochiali ecclesia, etc.*

SECTIO QUARTA. — De causis ab audienda Missa excusantibus.

Ab obligatione audiendi Missam diebus dominicis et festis excusat:

1° Dispensatio legitime concessa, quia de natura est legis positivæ ut vinculum ejus per legitimam dispensationem tolli possit.

2° Impotentia physica, quia repugnat aliquem teneri ad impossibile. Hinc excusantur incarcerati, lecto decumbentes, navigantes in mari, inter infideles vel hæreticos ubi Missa non celebratur degentes, etc. Qui autem prævidens se non habiturum Missam, ad hæreticos vel infideles iret absque sufficienti causa, transgressor præcepti de audienda Missa reputaretur: secus, si legitimam haberet huc eundi ibique manendi causam, v. g., ad procurandum bonum publicum, ad exercendam mercaturam sustentationi suæ familiæ necessariam, etc.

3^o Impotentia moralis, id est notabilis difficultas, quia apud omnes receptum est legem Ecclesiae non obligare eum tanto incommodo. Hinc excusantur 1^o infirmi, etsi non decumbentes, qui timent non leve incommodum, vel notabilem moram ad convalescendum, aut capitis gravamen, aut virium lassitudinem: in dubio an infirmitas sit sufficiens, standum est iudicio medici, aut superioris, aut parochi, aut alterius gravis personae; et etiam, ait *S. Ligorius*, n. 245, suo iudicio acquiescere potest infirmus, si ita prudenter iudicet. Si autem, petito consilio, dubium adhuc perseveret, multi volunt praecipuum obligare, quia in dubio pars tutior est eligenda: alii vero multi dicunt illud non obligare, quia tunc adest periculum gravis damni et iudicandum est matrem Ecclesiam in tali casu non obligare; quod *S. Ligorius* aestimat valde probabile; 2^o excommunicati et interdicti, quia Missae assistere non possunt licite, quin prius fuerint absoluti: at si absolutionem facile obtinere possint, et omittant eam petere, ab auditione Missae coram Deo non excusantur juxta *Bonacina, Collet, Continuat. Tournely*, t. iv; nam inquit *S. Ligorius*, n. 322, « quisquis tenetur » cum levi incommodo tollere impedimenta ut gravi » praecipuum satisfaciatur. » 3^o Multi et communius dicunt eum qui habet privilegium oratorii privati, et alibi Missam audire nequit, sacerdotem propriis expensis conducere non teneri ut Missam audiat, quia privilegium est favor et non onus, et talis conductio est notabile incommodum. Verum si Missa facile haberi possit gratis aut fere gratis, probabilis est dari obligationem eam audiendi, quia, licet nemo teneatur uti privilegio, tenetur tamen satisfacere praecipuum dum potest sine notabili incommodo.

4^o Quodcumque rationabile motivum quo quis bona fide iudicat se ad Missam tali die audiendam non teneri. Ita *Suarez, Layman, Bonacina, Busenbaum, S. Ligorius*, etc. Ubi enim viri prudentes sic communiter iudicant se recte excusari, durius esset eos de peccato mortali accusare. Hinc sufficienter excusantur 1^o custodientes

domos vel greges: si tamen plures sint custodes, et unica celebretur Missa, alternatim eam debent audire; et si duae dicantur, alterutri assistere debent successive. Vir exigere non potest ut uxor domi semper remaneat, quia est domina et non ancilla: debet ergo et ipse domum vice sua custodire; quod praestare potest ut ancilla Missam audiat. 2^o Matres et nutrices quae neminem habent cui relinquunt parvulos, nec eos ducere possunt ad ecclesiam sine notabili assistentium perturbatione. 3^o Famuli et a fortiori uxores et filii familias, si ministerium suum omittere non possint sine notabili detrimento domini, aut si contra iussum ejus, licet injustum, ire non possint absque gravi incommodo, puta, si indignationem ejus incurrerent, si famulatum amitterent, nec alium de facili invenirent. 4^o Milites qui, in miserrimis temporibus nostris, divinis officiis assistere non possunt quin comilitonum irrisiones, exprobrationes, aliaque ludibria adversum se provocent, ab audienda Missa excusantur.

5^o Si notabilis sit difficultas eundi ad ecclesiam ob distantiam, maxime si via sit difficilis, coelum pluvium; et habenda est etiam ratio personarum, loci, temporis et consuetudinis; spatium enim unius milliarii (*un tiers de lieue*) potest esse nimis molestum respectu nobilis puellae, et pro nihilo reputatur a forti rusticana; iter unius leucae non est grave pro plerisque, dum tempus est serenum et via sicca; est vero incommodum, si gradiendum sit in nocte, in nive, in aqua, in caeno, sub pluvia aut frigore, etc. Haec igitur pensanda et ex aequo et bono iudicanda sunt; saepe rationes non absolute sufficientiunt, et tamen personas ex bona fide agentes, si non a toto, saltem a tanto, id est, a mortali peccato excusant. Viator, si aliunde commodam amitteret occasionem itineris, v. g., socios, cum viam ignoret, aut si pericula timeat, si graviores subire deberet expensas. Occasio lucri extraordinarii et transitorii, ut multi affirmant apud *S. Ligorium*, n. 332 et quidem merito; alioquin dicendum foret legem Ecclesiae cum magno obligare posse incommodo, et plures ex praecedentibus decisionibus

rejiciendæ essent. Eo principio innixi, plurimos excusamus operarios qui certo anni tempore eunt Parisios, Belgium, vel in alias regiones, et acceptant laborem apud dominos qui permittere nolunt eos Missam audire, si aliunde lucrum inde proveniens ipsis vel familiæ sit necessarium aut saltem maximi momenti, et faciant quod in se est moraliter ut Missam audiant et diebus festivis non laborent. Non vero permittimus, ob lucrum faciendum, eligere conditionem qua Missa fere nunquam audiri posset, etsi hoc lucrum ad sustentationem familiæ gravis esset momenti; quia aliud est Missam quandoque vel per aliquod temporis spatium omittere, et aliud eam fere nunquam audire et cuncta Christiani exercitia omittere.

6^o Charitas; quia in concursu duarum legum quarum una est naturalis et altera ecclesiastica, lex naturalis præferenda est: porro auditio Missæ est de præcepto ecclesiastico, et officium charitatis de lege naturali: ergo, etc. Unde 1^o qui curam habent infirmi, ab audienda Missa excusantur, si eum deserere non possint sine periculo majoris infirmitatis, nimix anxietatis, aut alterius notabilis incommodi: in dubio an ratio sit sufficiens ut omitatur Missa, non deserendus est infirmus, ut fatetur ipse *Collet*; 2^o qui auxilium proximo grave damnum patienti ferre potest, v. g., in incendio, in hostium vastatione, in messis deperditione, etc. 3^o Qui rixas, jurgia, duella, lites, turpia, etc., impedire potest, sufficientem habet rationem ut a Missa hac die absteineat. Item puella quæ certo novit quod egrediendo tali die, futura sit alicui in particulari causa ruinae spiritualis, seu occasio gravis peccati, ab audienda Missa sufficienter excusatur, cum ex charitate agat; sed communius docetur illam ad hujusmodi abstinentiam non teneri saltem sub gravi, aut plus quam semel aut iterum, quia utitur jure suo, et si aliter passurus sit damnum spirituale, hoc sibi soli imputare debet.

7^o Consuetudo, quæ vim habet, ut omnes fatentur, legem introducendi, abrogandi, mutandi et interpre-

tandi: ubi ergo mos invaluit ut in tali vel tali circumstantia omitteretur Missa etiam a personis timoratis, indicium est Ecclesiam tunc obligare nolle, quia grave subeundum esset incommodum. Sic 1^o damnari non possunt puerperæ quæ, in nonnullis regionibus, etsi convaluerint, ecclesiam adire non solent, nisi uno mense vel sex septimanis post partum; 2^o mulieres conjugatæ primis diebus post mortem sponsi; 3^o honestæ puellæ quæ, ex seductione, factæ sunt gravidæ, ut famam suam conservent. Cæterum hæ omnes non excusarentur, si ob alia negotia domo exirent. 4^o Excusari potest puella quæ cum magno rubore proclamationes proprii matrimonii audire teneretur, si aliam Missam audire non possit; 5^o item mulieres quæ non habent vestes juxta statum suum decentes, vel famulum aut sociam, sine quibus magno rubore suffunderentur; at si Missam valde mane audire possint, ab ea audienda non excusantur, quia tunc grave non timetur incommodum.

Queritur 1^o an qui ab audienda Missa legitime excusantur, alium religionis actum in compensationem elicere teneantur.

R. Certum est eos ad nullum teneri vi præcepti ecclesiastici quo Missæ assistentia præcipitur, et nihil ultra. At, ut notat *Billuart*, cum, ex præcepto naturali, aliquando divinis vacare debeamus, aliquam hujusmodi compensationem Deo præstare debent; non tamen die dominica potius quam altera die, quia præceptum naturale non determinat tempus. Qui ergo preces matutinas et serotinas recitat, Missam intra hebdomadam audit loco dominicæ, huic naturali præcepto plene satisfacit.

Queritur 2^o an homo in statu peccati mortalis Missæ assistens, præcepto satisfaciatur.

R. 1^o. Qui cum actuali ad peccatum mortale affectu audit Missam, peccat, quia saltem aliquam facit injuriam Deo, sacrosanctum Missæ sacrificium cum celebrante ei offerens, dum in peccatis perseverare intendit; non tamen arcendi sunt sic affecti ab audienda Missa, sed hortandi ut affectum deponant et eam recte audiant. Hoc

autem peccatum, juxta *Billuart, Henricum a S. Ignatio* citantem, culpam venialem non excedit.

R. 2°. Qui Missam sic audit, modo eam audire intendat, et actum religionis exerceat, licet peccet in modo eam audiendi, satisfacere videtur præcepto, quia lex præcipit substantiam actus, non autem modum, nisi modus sit de intrinseca ratione actus, qualis est, v. g., attentio mentis in auditione Missæ aut recitatione Horarum, sine qua actus non esset religiosus. Ita cum multis aliis *Sanchez, Sylvius, t. II, Billuart, etc.*, qui dicunt hanc sententiam esse communiorem. Unde qui Missæ vel officio pro defunctis cum affectu ad peccatum assistunt, stipendia restituere non tenentur, modo aliunde debitam habuerint attentionem. Vide quæ diximus de recitatione divini Officii cum actuali proposito peccandi, § 3, ad calcem.

§ II.—De aliis pietatis operibus diebus dominicis et festivis agendis.

Plures theologi et auctores ascetici, præsertim in Gallia, docuerunt absolute totam diem dominicam et festivam sanctificandam esse ex præcepto divino et ecclesiastico, et eos qui ab operibus servilibus abstinent Missamque audiunt, et reliquum tempus in otio, in vanis colloquiis, in ludis et comessationibus terunt, a gravi peccato excusari non posse.

Cæteri vero theologi, post *S. Th.*, finem præcepti ab ipso præcepto sedulo distinguentes, dicunt :

1^o. Convenientem dierum dominicarum et festivarum sanctificationem postulare quidem ut fideles, præter cessationem ab operibus servilibus et auditionem Missæ, alia pietatis opera exerceant, v. g., actus fidei, spei, charitatis, contritionis eliciant, sacram concionem audiant, officii vespertinis assistant, Scripturam sacram aut alios pietatis libros legant, ignaros erudiant, necessitatem patientibus auxilium præbeant, etc.; multo magis expedire ut a negotiis sæcularibus, lusibus, spec-

taculis, choreis, venationibus, computationibus abstineant, et ad hoc referendas esse multas auctoritates a *P. Alexandro* aliisque auctoribus citatas.

2^o Vi præcepti divini aut ecclesiastici fideles non teneri prædictis diebus interiores actus fidei, spei, charitatis aut contritionis elicere, quia nullibi legimus tales actus his diebus esse præceptos; nec sacram concionem audire, propter eandem rationem: tenentur quidem episcopi et parochi verbum Dei per se vel per alios singulis diebus dominicis et solemnioribus festis populo annuntiare, ut alibi ostendimus; sed communiter docetur fideles, aliunde sufficienter eruditos, aut alia via erudiendos, concionibus et catechismis assistere non teneri: quod autem dicit concilium Trid.: « Moneatque episcopus populum diligenter unumquemque teneri parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei, » strictum non denotat præceptum, alioquin non diceret, *ubi commode id fieri potest*; et insuper eo sensu prædicta accipiuntur verba.

3^o Optimum esse fideles Vesperis adesse diebus dominicis et festis, nisi legitime impediatur, maxime in Gallia, in Belgio et in aliis regionibus, ubi sic fert populi christiani consuetudo.

4^o Sequitur, ex dictis, eos qui diebus dominicis et festis ab operibus servilibus abstinent et Missam debito modo audiunt, cunctis aliis religionis operibus neglectis, licet reprehensibiles, præcepto de sanctificandis præfatis diebus satisfacere quoad substantiam, ita ut mortaliter non peccent. Absolvi ergo et ad communionem paschalem admitti possunt, si nihil aliud obstat, quamvis fortiter hortandi sint ad ea præstanda vel fugienda quæ optimi Christiani præstare aut fugere solent, et ad quæ sancta mater Ecclesia tam sollicitè et constanter incitat.

Hinc patet quanti momenti sit distinctio a *S. Thoma* inducta inter rem præceptam et finem præcepti, sub præcepto non contentum: quam distinctionem plurimi non satis attendentes, in vagam abeunt doctrinam, vel rigidiores emittunt sententias.